GRÆCIÆ
VNIVERSÆ
ASIÆQ. MINORIS
ET
INSVLARVM
NOMISMATA
VETERVM

HVBERTO GOLTZIO
QVONDAM SCALPTORE

CVM INDICE GEOGRAPHICO.

ANTVERPIÆ,
Ex Typographiâ Henrici Ærtſſij.
Sumptibus Iacobi Biæi.
cIↄ. Iↄc. xiix.

Digitized by Google



GRAECIAE
VNIVERSAE
ASIAEQ. MINORIS
ET
INSVLARVM
NOMISMATA VETERVM
HVBERTO GOLTZIO QVONDAM
SCALPTORE
Nunc demum è tenebris in lucem
prolata
Cum INDICE Geographico.

ANTVERPIAE APVD IACOBVM BIEVM CIↃ. IↃC. XVIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

SERENISSIMO

ET

POTENTISSIMO

ALBERTO

ARCHIDVCI AVSTRIÆ

BVRGVNDIÆ DVCI

BELGARVM

PIO ET CLEMENTISSIMO

PRINCIPI,

&c.

CVM multa domi militiæq; GRÆCIA diſciplinarum Legumque parens præclarè à ſuis geſta ad poſteros litterarum monumentis tranſcripſerit, cùm in Ciuili adminiſtratione, tùm in Deorum ſuorum cultu: Artes etiam Diſciplinasque prima poſt Hebræos omnium, teſte Ioſepho, antiquiſſimos propagarit, tum diſciplinam militarem egregiè fortiterque exercuit. Hos imitati Romani rerum Domini, To-

gataque gens accepta à Græcis, vt in Tuſculanis au-ctor eſt M. Tullius, fecêre meliora. In ceteris autem Reip. monumentis (quia belli neruus pecunia, quâ parantur omnia, ſolet exiſtere) Nomiſmata etiam priſcorum numerantur; quibus & Deos, vt pij viderentur, & Regum ſuorum, Ducumque fortium effigies, virorumque adeò armis Togaque illuſtrium capita; Templa adhæc, & ædificia, aráſq. cudere, in vulgúmq. ſpargere ac diſſeminare, vt congiaria, ac donatiua, ſolebant. Horum exemplo & Hiſpaniæ Reges, etiam Gothici olim, Nummos Crucis Dominicæ fere ſigno cudebant, ſed rudiore paulò arte, cùm iam preſſæ Barbarie litteræ, artéſque bonæ iacerent. Quæ Nomiſmata typis etiam expreſſit, atque explanauit Reuerendiſſ. Ant. Auguſtinus, Archiep. Tarraconenſis Dialogis Antiquitatum, recens hic Latinè à R. P. Schotto redditis. In Germania verò Auſtriacos Heroas, omnium Germanicæ nationis Catholicæ Religioni maximè addictos, vt pietatem, ſic & ſcientiam rerum ſacrarum, artéſque complexos eſſe obſeruatum vel è duplici volumine Iac. Typotij, Cæſaris nuper hiſtorici. Specto hîc Auſtriacorum & Comitum Habſpurgenſium longo ordine ſeriem, & Symbola Nummis impreſſa rerum virtutúmque ſingularium. Lego hîc Auſtriacæ gentis lumina, bellíque fulmina hiſce merito ornari elogiis: Rotherium *Æquum*, Guntranium *Fortiſſimum*, alterúmque cognominem *Modeſtum:* Vuluitardum *Religioſum:* Bernherum *Beneficum*, alterúmque *Iuſtum:* Ottonem *Prudentem:* Albertum virtute *Diuitem:* alióſque aliis titulis condecoratos. Quæ cùm ita ſint, Sereniſſime Princeps, iuſta mihi

cauſa

cauſa viſa eſt, opportunúmque fore animum induxi, ſi C. T. in Auſtriaca gente nepotem, filium, fratrémq; Imperatorum Auguſtorumq;, Magniq; Philippi II. Hiſpaniarum Regis generum propiúſque ſobrinum appellarem, dedicarémque GRÆCIÆ Vniuerſæ, Inſularumque eius Tabulas Nomiſmatum ab Huberto Goltzio Herbipolita æri quondam inciſas, ſed hactenus preſſas tenebriſq; deliteſcẽtes: vt olim ſocero veſtro Philippo II. idem Goltzius MAGNAM GRÆCIAM SICILIAMQVE inſcribendam putauit. Maximiliano verò II. parenti veſtro, & Ferdinando auo Optimo Principi, Iulij & Octauiani Cæſarum volumina. Qui & humaniter illa acceperunt; vt erant picturæ, architectonicæ, omniſque adeò Antiquitatis perſtudioſi: Quæ ſanè digna Principe & Heroe exercitatio ſemper eſt viſa, præ alea Legibus olim vetita. Cùm enim delectêris inprimis antiquorum Monumentis, Pietatis eſſe ſoles cum coniuge Iſabella, Catholici Regis filia, perſtudioſus. Vt autem fidei Maiorum hoſtes ſuperiore ſæculo templa Catholicorum diruerunt, aras profanarunt, ſacraſque Diuorum imagines demoliti, vt Iconomachi ſolent: ea denuò erigere atque inſtaurare aggreſſi, Sichemij ſeu Aſpricolle auguſtum rotundúmque Deiparæ Virgini, votis miraculiſque frequentatum, vt à Iuſto Lipſio eloquentiſſ. viro ſunt conſignata, à fundamentis exædificatis. Bruxellæ quoque Virginibus velatis Tereſanis templum egregium, cœnobiumque ſexus vtriuſque Excalceatis collocaſtis. Vtriuſque rei tabulas, typóſque & iconem ſumus, Deo bene iuuante vireſque ſuppeditante, propediem cælando exhibituri. Suſcipe in-

pe in-

pe interim, quâ ſoles fronte hilari, hanc Goltzij Græciam, quæ hactenus ſitu, ærugine, & ſqualore pæne perierat, erutam, ornatámque hominis eruditi prolegomenis, dum ceteri doctiſſ. viri ſuos in has Græciæ Tabulas Commentarios adornant, & luce donandos curant, veſtrâ potiſſimùm ope adiuti, quorum auſpiciis hæc diu multúmque votis deſiderata in apertam lucem proferimus. Deum Opt. Max. venerando precantes, vt Seren. V. Cels. cum pientiſſ. coniuge diutiſſimè nobis ſuperſtitem eſſe velit, commodo Reip. Chriſtianæ, fideíque Orthodoxæ: vt poſt bellorum inducias otio publicè, Pace, tranquillitatéque perfruamur. Antuerpiæ Kal. Maij, CIƆ. IƆC. XIIX.

Sereniss. V. Cels.

Deuotus

IACOBVS BIAEVS
Antuerpian.

Digitized by Google

IAC. BIAEVS

LECTORI ΦΙΛΕΛΛΗΝΙ.

VT humani corporis bini ſunt oculi, quibus ambulent homines, greſſuſque figant; ſic & HISTORIÆ veluti corporis totidem lumina ſunt, quibus in legendo vtaris, neque impingas: *Geographia* nimirum & *Chronographia*. Hæc temporum, illa locorum eſt deſcriptio: ſine quibus in tenebris denſa obſitus caligine verſeris, & Andabatarum in morem fruſtra dimices.

Vnam quidem partem cum GRÆCIA & INSVLIS eius, nunc primùm in lucem prolatis Tabulis, ab *Huberto Goltzio* olim æri inciſis Nummis, quoad eius à me fieri in his anguſtiis potuit, vtcumque abſoluimus, exhibito INDICE *Geographico*; qui velut in hoc Labyrintho Ariadnæ ſit fili adinſtar, Opidorum ſitum, flumina, montes, ſinus, maria, tanquam Nomenclator breuiter ſuppeditans, partim antiqua Græciæ nomina, partim recentia, quæ hodieque in vſu ſunt: vt inſpectâ Græciæ Tabulâ, quam à NIC. Sophiano homine Græco & erudito primùm delineatam Ortelius noſter in Theatri Orbis terrarum Parergo exhibuit, & alteram committas cum recentibus Turciciſque nominibus. Hinc etiam vtraque nomina vetera, nouaque ad inueniendum in Tabulis apta poſuimus. Illa quidem ex antiquis optimiſque Geographis, *Ptolemæo, Strabone, Stephano, Pauſania, Mela, Plinio & Solino*: noua verò è recentibus Tabulis, Sophiani, Nigri, Gillij, ac Bellonij. Quæ conſideratio in Tabulis Geographicis ſummam adferre in Hiſtoria legenti voluptatem ſolet.

Altera eſt pars, quæ tempora deſcribat, *Chronographica*: puta quo tempore cuſi nummi illi, quo Archonte ſeu Prætore, vel Ephoro: & in quorum Regum Macedoniæ aliorumque finitimorum gratiam, vel quorum Toga ſagoque illuſtrium virorum in laudem Nomiſmata ſint euulgata quærendum in primis, priuſquam ad ſenſa veluti Hieroglyphica, peruenias. Vt Romanis in Nummis quærimus hodie, vt Ludi ac dramata, à quibus exhibita Aedilibus; ſic & Nummi à quibus Triumuiris ſeu Treuiris Monetalibus in-

Digitized by Google

cude cuſi ſint, titulis id ſingulis litteris prodentibus ac repræſentantibus, cuius in gentis, familiæ, ac Tribus ſint honorem vtrobique ſignati. Verbi gratia, ne abeam longiùs, oſtendimus ex Ariſtophanis Scholiaſte, cur omnibus in Atticæ nummis *Noctua*, vrnæ iacenti hic inſiſtens cudatur: cur *Pallas* in auerſa parte appareat: vt *Iupiter* ſæpius alibi, & in Lemniis nummis *Vulcanus* claudus faber. Cur in quibuſdam *Alexandri Magni* galeatum caput, alibi aliorum Regum ſpectetur effigies. Hic nos etiam ſemina ſparſimus, ac veluti fundamenta iecimus iis, qui fortè me longè eruditiores hanc ornare Spartam & augere, calamiſtriſque volent inurere. Quorum certè hominum eruditorum labores ad has Tabulas ita illuſtrandas ad me miſſos, curabo equidem ex Fide mox repræſentari ſuo loco, cum honorifica, vt par eſt, nominis cuiuſque appellatione. Ingenui etenim eſſe hominis ſemper exiſtimaui agnoſcere per quem profeceris; & cui debeas, plus etiam velle debere. Nec enim alienis me plumis ornare corniculæ ritu Æſopicæ, ne repetantur, volo, ſed ſuum cuique càndidè acceptum ferre ſtudeo. Quo etiam conſilio Syllabum ſubiicimus Scriptorum Antiquorum GRÆCIÆ, quibus & adiuti ſumus, & iuuari poſſe exiſtimem qui reliquam illam Chronographicam partem, quæ reſtat, in exſpectationeque erit, amplificare ſtudebunt. *Feliciter.*

AVCTORES

Digitized by Google

AVCTORES
QVIBVS HÆC
GRÆCIÆ VRBIVM
INSVLARVMQ.
NOMISMATA
EXPLICARI QVEANT.

GRÆCI.

STRABO Geographus.
Ptolemæus.
Plutarchus.
Polybius.
Pauſaniæ *Græciæ deſcriptiò.*
Stephanus de Vrbibus.

Iulius Pollux in *Onomaſtico* lib. IX. cap. VI.
Et qui de Re nummaria ſcripſerunt { G. Budæus. G. Agricola. M. Hoſtus. I. Capellus aliique:

Homerus, ſecundo Iliados *in nauium Catalogo:* & in eum Euſtathius, ac de recentioribus Ioan. Spondanus, & Ioach. Camerar.
Dionyſij περιήγησις, & in eum idem Euſtathius.
Geographi *Marcianus Artemidorus, Scylax, & Iſidorus,* Auguſtæ editi anno M. DC.
Dicæarchi Geographica, *de vita Græciæ*, typis H. Stephani an. M. D. LXXXIX.
Scholiaſtæ Græci in Lycophronem Tzetzes, & alius in Heſiodum: idem in Apollonium, Ariſtophanem, Nicandrum, & Theocritum.

LATINI GEOGRAPHI.

Pomponius Mela *de ſitu Orbis.*
C. Plinius.
Solinus in *Polyhiſtore.*
Marcianus Capella in Geographia, ex Plinio:
Iuſtinus & Paulus Oroſius.
Cornelius Nepos, ſeu Æmilius Probus *de vita Impp. Græciæ.*

RECENTIORES:

Abrah. Ortelij Theſaurus Geographicus.
Nicol. Gerbelius in Tabulam *Græciæ Sophiani.*
Wolfgangi Lazij *Græca nomiſmata.*
Hub. Goltzij Sicilia & *Magna Græcia:* eiuſdemque Theſaurus rei Antiquariæ.
Reynerus Reyneccius *Syntagmate*, *De Monarchiis & Imperiis.*
Fuluij Vrſini *Imagines Veterum*, cum Notis Lat. per Theod. Gallæum ſculptis.
Car. Sigonius de Athenienſ. Repub. & de Lacedæmonior. Nic. Cragius, vt de Magiſtratib. Græcorum Poſtellus, & Perionius.

INDEX

INDEX
TABVLARVM GRÆCIÆ HVBERTI GOLTZI
NVNC PRIMVM EDITARVM
A
IAC. BIÆO ANTVERP.

EPIRI.

DYRRHACHIVM Tabula I. & II.
Apollonia Tab. II. & XXVII.
Bulioni Tab. III.
Antigonia Tab. III.
Chaonia Tab. III.
Omphalium Tab. IIII.
Epirus Tab. IV.
Theſproti Tab. V.
Buthrotus Tab. V. (?)
Ambracia Tab. V.
Amphilochium Tab. VI.
Acarnania Tab. VI.
Tyrrhij Tab. VI.
Actium Tab. VI.

ACHAIÆ.

Naupactus Tab. VII.
Ætolia Tab. VII.
Calydon Tab. VII.
Locri Tab. VII. & XVIII.
Phocis Tab. VIII.
Delphi Tab. VIII.
Achiui Tab. IX.
Ægium Tab. IX.

PELOPONNESI, quæ peninſula hodie *La Morea.*

Patræ Tab. IX.
Olympia Tab. X.
Pylos Tab. X.
Meſſenia Tab. X.
Troezen Tab. X.
Gythium Tab. XI.
LACEDÆMON ſeu SPARTA Tab. XI.
Arcadia Tab. XI.
Eua Tab. XI.
Stymphales Tab. XI.
ARGOS Tab. XII.
Epidaurus Tab. XII.
CORINTHVS Tab. XII. & XIII.
Megara Tab. XIII.
Nicæa Tab. XIII.
ATHENÆ Tab. XIIII. & XV.
Cranion Tab. XV.
BOEOTIA Tab. XVI.
Thebæ Tab. XVI. & XVII.
Himenia Tab. XVII.
Tanagræa Tab. XVII.
Armat Tab. XVII.
Anthedon Tab. XVIII.
Opontij Tab. XVIII.
Theſſali Tab. XIX.
Heraclea Trachiniorum Tab. XIX.
Lamia Tab. XIX.
Ethneſtæ Tab. XX.
Demetria Tab. XX.
Lariſſa Tab. XX.
Metropolis Tab. XXI.

MACEDONIÆ.

Macedones Tab. XXII.
Pella Tab. XXII. & XXIII.
Theſſalonica Tab. XXIII.
Caſſandria Tab. XXIV.
Toronea Tab. XXIIII.
Olynthus Tab. XXIIII.
Athoitæ Tab. XXIIII.
Biſanthe Tab. XXIIII.

THRACIÆ.

Amphipolis, Philippopolis, Abdera — Tab. XXV.
Maronia, Cherroneſus, Lyſimachia, Perinthus. — Tab. XXVI.
BYZANTIVM, ſeu Conſtantinop.
Thernea Tab. XXVII.
Apollonia Tab. XXVII.
Ageſſium Tab. XXVIII.

Digitized by Google

Dionyſopolis
Tomos } Tab. xxviii.
Iſtria
Agathyrſus

REGES MACEDON. & EPIRI, &c.

Pyrrhus Epirota Tab. iiii. & xxvi.
Archelaus
Amyntas
Alexander } Tab. xxix.
Ptolomæus Alorites
Et Ceraunius Tab. xxxvii.
Perdiccas Tab. xxix.
Philippus Tab. xxx. & xxxi.
Alexander Magnus Tab. xxxi. xxxii. xxxiii
xxxiiii. xxxv. & xxxvi. initio.
Caſſander Tab. xxxv.
Antipater Tab. xxxv. & xxxviii. initio.
Demetrius Nicator Tab. xxxvi. alius Tab.
xxxviii.
Lyſimachus Tab. xxxvi. & xxxvii.
Meleager Tab. xxxviii.
Soſthenes Tab. xxxviii.
Antigonus Gonatas Tab. xxxviii.

ASIÆ *Minoris Vrbes.*

Colchis
Macrocephaloi
Cappadocia } Tab. i.
Xylinæa
Trapezuntus
Galatia Tabula ii.
Amiſus Tab. ii.
Synope
Zephyros } Tab. iii.
Heraclea
Chalcedon
Nicomedia } Tab. iv.
Nicæa
Pruſia

REGES ASIÆ.

Mithradates Eupator Tab. iii.
Nicomedes Epiphanes Tab. iiii.

INSVLÆ GRÆCIÆ.

Corcyra Tab. i.
Leucas Tab. i.
Cytoros
Megaleſus } Tab. ii.
Bagedaon
Reges { Ariarathus Tab. ii.
Ariobarzanes Philaromaeus Tab. ii.
Cythera
Ægialæa } Tab. iii.
Creta
Corycium Tab. iii.
Camara Tab. iiii.
Cydæa Tab. v.
Lappa Tab. vi.
Cydonia Tab. vi. & vii.
Phaeſtos Tab. vii.
Helene Tab. viii.
Cranaa Tab. viii.
Euboea Tab. ix.
Ædepſus Tab. x.
Caryſtus Tab. xi.
Cerinthus Tab. xi.
Iſtiæum Tab. xii.
Scyros Tab. xii.
Peparethus Tab. xiii.
Thaſus Tab. xiii.
Lemnos Tab. xiii. & xiv.
Myrina
Tenedos } Tab. xiiii.
Lesbos
Mytilene
Ereſſus Tab. xv.
Chios Tab. xv. & xvi.
Samos Tab. xvi.
Icaruim Tab. xvii.
Tænion Tab. xvii.
Delos Tab. xvii. & xviii.
Naxos Tab. xviii.
Cythnus Tab. xviii.
Seriphus Tab. xix.
Siphnus Tab. xix.
Parus Tab. xix. & xx.
Cos & Coos Tab. xx. xxi. & xxii.
Amorgus Tab. xxii.
Syme Tab. xxiii.
Carpathus Tab. xxiii.
Rhodos Tab. xxiii. & xxiiii.
Megiſte Tab. xxiiii.
Chelidonea Tab. xxv.
Cyprus Tab. xxv. & xxvi.
Paphos Tab. xxvi.
Amathus Tab. xxvi.
Carpaſios Tab. xxvi.
Ceraunij Tab. xxvi.
Lapythus
Tremithapolis
Tamaſiſa } Tab. xxvii.
Idalium
Aradus
Lopadeſſa
Melita } Tab. xxviii.
Caralis
Lipara

Digitized by Google

GEOGRAPHICVS
INDEX
VRBIVM GRÆCIÆ
ET
ASIÆ MINORIS
INSVLARVMQ.

In Tabulis Goltzianis recens editis.

GRÆCIA præſtabat olim reliquis *Europæ* regionibus, cæli temperie ac benignitate, terræ amœnitate, frugum omnium fertilitate, armentorum & piſcium copiâ, opulentiâ, & omnium diuitiarum affluentiâ, incolarum multitudine, ſplendore, ac potentiâ, atque etiam vecturæ commoditate, qua ex omnibus mundi partibus iam olim frequenti nauigatione multæ res importatæ & exportatæ ſunt.

Incolæ mirabili ingenio olim præditi fuerunt: vnde ſcientias omnes ac facultates illuſtrarunt, perfeceruntq; vt tot præſtantiſſimorum Philoſophorum, Medicorum, Mathematicorum, Hiſtoricorum, Poëtarum, & ceterarum diſciplinarum monumenta teſtantur. Siquidem omnium artium & diſciplinarum inuentores & illuſtratores, quorum memoriam hodie colimus, magnam partem ex totius eruditionis fonte & matre GRÆCIA oriundi fuerunt. Hic etiam Picturam, teſte Plinio lib. xxxv. Natur. Hiſtor. cap. III. & Statuariam primum adinuenerunt. Præterea Militarem artem primi iuſtituerunt, atque Magiſtratus, & Dominandi modum ac rationm: qua ipſi, *famâ*, *gloriâ*, (vt Ciceronis pro L. Flacco verbis vtar) *doctrinâ, eloquentiâ, Artibus multis, Imperio, laudeque bellicâ egregiè floruerunt*, & magnæ Orbis parti quondam imperitarunt. *Ex Io. Ant. Magini Geographia Ptolemaica.*

GRÆCIÆ quatuor ſunt præcipuæ Prouinciæ EPIRVS, ACHAIA, PELOPONNESVS, & MACEDONIA. Thracia his finitima iacet, & ad Pontum Euxinum ASIA Minor, ceteræque Regiones his nominibus continentur. Adiacent his & INSVLÆ multæ Ionij maris & Ægæi, vt *Cyclades, Sporades, Creta*, &c. de quibus ſeorſim diſſeremus.

Ad Idioma *Græcorum* quod attinet, vtuntur hodieque linguâ ex vetere corruptâ, ſed alij aliis meliùs loquuntur; ad Græcam priſcam magis accedentes quàm Itali ad Latinam: vt Pet. Gillius & Bellonius, Gallus vterque teſtantur, qui oram luſtrarunt. Obſerua itaque in Græciæ Tabulis, & hoc *Indice*, antiquis Vrbium appellationibus noua accedere, corruptâ nonnihil voce.

Hæc ea eſt GRÆCIA, quæ, vt Manilius canit:

Maxima terra viris, & fœcundiſſima doctis
Vrbibus, & Macedûm tellus quæ vicerat Orbem.

Hæc viribus & dignitate *Orbis terrarum Princeps eſt*, inquit Iuſtinus lib. VIII. è Trogo Pompeio. Ex hac terrarum parte omnis, vt Plinius ait, *Litterarum claritas effulſit. Nullius hæc indiga præconij: tanta illi claritas ſuperfluit.* In hac vt alter Plinius iunior, Epiſt.

Epiſt.vlt. ad Maximum lib. VIII. *Humanitatem primum, literas, & fruges conſtat eſſe inuentas. Hac nobis miſit Iura: & Leges non victa accipere, ſed petentibus dare ſolet*: vt Romanæ Leges Decemvirales XII. Tabularum à Græcis profluxerunt. Romæ enim anno ab exactis Regibus viceſimo, ex Senatuſconſulto tres ſunt Legati dicti, qui Athenas & Lacedæmonem (quibus Solon & Lycurgus Leges tulerunt) inque alias GRÆCIÆ ciuitates mitterentur, vt examinatis patriis inſtitutis ac Legibus exemplum inde ad imitandum caperent. Hi Legati *Hermodorum Epheſium* adducentes in conſilium adhibuerunt, qui tum fortè in Italia, ob probitatem à ſuis patriâ temerè pulſus, exſulabat. Huic rectè officio perfuncto, Virtutiſque ergo, ſtatua Romæ in foro poſita eſt, quòd Decemviris Leges Solonis eſſet interpretatus. Cicero Tuſculan. v. & de Græci illius Epheſij laudibus Strabo lib. XIIII. Plinius lib. XXXIIII. cap. v. Pomponius lib. 2. §. 4. D. De Orig. Iuris. Diogenes Laërtius in Heracliti vita. Ergo quod de Carthagine Salluſtius Criſpus ait, hîc vſurpabo; *ſilere de* GRÆCIA, *quam pauca dicere longè præſtat:* quæ nunc, prôh dolor! in ſeruitutem miſeram gentis Barbariſſimæ Turcarum, in Tyrannidemque eſt prolapſa. *En quò diſcordia ciues Perduxit miſeros!*

De GRÆCIA ſcripsêre antiqui Græci, Strabo à libri VII. fine, VIII. & IX. Geogr. Ptolemæus, Pauſanias, Stephanus, Polybius, & Homerus, lib. 2. Iliados: Latinique Geographi ſup. enumerati. De *Thracia* Appianus quædam libro IIII. Ciuilium Bellorum. De *Creta*, Inſuliſque Cycladibus idem Strabo lib. x. Geogr.

ABDERA Tab. XXV. Thraciæ vrbs, quæ & *Clazomene* dicta, patria Democriti Philoſophi: ſtultitiæ olim & ruditatis Prouerbiis notata: Ἀβδηρολόγος apud Iunium Centur. VI Adag. XI. *Mens Abderitica*, & *Abdera pulcra Teiorum colonia* apud Chiliaſten. Hodie *Polyſtylo* nominari auctor Sophianus in Tab. Græciæ: aliis *Aſtriza* eſt. *Abderitas* autem à ranis ac muribus patrio pulſos ſolo ſedes alibi quæſiſſe refert Iuſtinus lib. XIIII. & Oroſius extremo lib. III.

ACARNANIA Tab. VI. modo appellatur *Ducatus* ſeu *Deſpotatus*, vel *parua Græcia*: in Epito ad Orientem iacet vſque ad *Acheloum* amnem. Vide Stephanum. περὶ πόλεων.

ACHAIA Tab. VII. hodie *Liuadia* nominata. Huius apud ſcriptores nouem regiones: *Doris, Hellas, Aetolia, Phocis, Boeotia, Attica, Regiones Locrorum item & Opuntiorum, & Megaris.* Vnde & ACHIVI dicti Tab. IX. & *Achæi*, quod & commune Græcorum nomen: qui etiam dicti à Poëtis *Argiui, Danaes, Dolopes, Dores, Dryopes, Hellenes, Icones, Macedones, & Pelaſgi.*

ACTIVM Tab. VI. Acarnaniæ in Ambracio ſinu opidum, Auguſti quondam colonia: ad quod promontorium M. Antonium & Cleopatram nauali deuicit prælio, de quo Dion lib. L. Plutarch. in Antonio, Florus lib. IIII. cap. XI. Oroſius lib. VI. cap. XIX. & in Arcadicis Pauſanias. Hodie in Tabulis *Capo Figalo* eſt. Hic *Apollinis Actij* (quaſi *littoralis* dicas) fanum fuit, teſte Strabone lib. VII. & X. Geogr. & Stephano.

ÆGIVM Tab. IX. Achaiæ in Peloponneſo vrbs, dicta poſterioribus temporibus *Voſtiza*, ſeu *Boſtiza*; à Turcis exciſa. Inde *AEgæum mare*, opinor, cœptum appellari, quod hodie *Archipelago* nominant.

ÆTOLIA Tab. VII. Achaiæ pars, inter Callidromum montem & Ionium mare. Hanc Euenus fl. perfluit, qui in mare deuoluitur. Gens olim vana, ait T. Liuius, grandis tamen & bellicoſa. In vmbilico Græciæ eſſe idem affirmat Liuius lib. XXXV. ab V.C. Vrbes habuit multas, quarum præſtantiſſima *Calydon*, quæ hodie in ruinis.

AGATHYRSVS Tab. XXVIII. Plinius Scythiæ populum facit, lib. IV. cap. XII. Herodotus in Euterpe: Ἀγάθυρσοι δὲ ἁβρότατοι ἀνδρῶν εἰσὶ, καὶ χρυσοφόροι τὰ μάλιστα. Silius Italicus:

Defuerant Agathyrſa manus, geminique Lacone Tyndaris.

Et P. Maro IIII Æneid. V. 146.

Inſtaurantque choros, miſtique altaria circum
Cretenſes, Dryadeſque fremunt, pictique Agathyrſi.

Vbi

Vbi Seruius Honoratus ex Meliſſo ab Homero *Achabas* ait appellari.

AGESSVS Tab. xxviii. Thraciæ vrbs, auctore Stephano Byzantio de Vrbibus ex Theopompo lib. XLVII. Vnde incolæ *Ageſſij*, vt *Tarteſſij* ſint appellati.

AMBRACIA Tab. v. Integrum hodieque nomen ſeruat, *Ambrachia* Sophiano, aliis *Larta*. Olim Αἰγίνα & Οἰωνὸν dicta.

AMISVS Tab. ii. Aſiæ, Galatiæ vrbs eſt maritima, olim clara, hodie *Simiſo* dicta, cuius ager opimus & aquis irriguus. Cum Sinope Ponto adiacet Euxino. Meminit Strabo initio lib. ii. Geogr.

AMPHIPOLIS Tab. xxv. Macedoniæ opidum, Demoſtheni *Chryſ polis*, vt hodie ferè indigitatur *Siſſopeli*. Olim Græci variè nominarunt: Ἐννέα ὁδοὶ, Μυρίκη, Ἠιών, Κραδέμνα & Ἀνάδραμος, auctore Stephano.

ANTIGONIA Tab. iii. Ἀντιγόνεια, Epiri opidum in Chaonia, vulgo eſt *Croya de Albania*. Steph. ſeptem cognomines enumerat vrbes: in his vnam in Macedonia, opus Antigoni Gonati Regis. Vnde illi nomen: Spectabiſque Tab. xxxviii.

ANTHEDON Tab. xviii. Idem Steph. ex Homeri Catalogo nauium Iliad. β.— Ἀνθηδόνα ἐσχατόωσαν, Bœotiæ vrbem facit. Aliam etiam Syriæ, Gazæ vicinam, quæ clara Sampſonis illuſtribus factis, hodieque *Gazara* dicitur.

APOLLONIA Tab. ii. & xxvii. Huius quoque cognomines xxv. recenſet idem Steph. πολυγράφος, quem adito. Nic. Sophianus Corcyræus Γυλακίαν ponit, quæ vulgò leniter cum lingua corrupta voce, *Apolline* dicatur.

ARCADIA Tab. xi. quæ vrbs hodie *Ciuariſſi*, eſtque in vmbilico ſita Peloponneſi, quæ peninſula vulgò *Morea* nuncupatur.

ARGOS Tab. xii. nomen & hæc retinet. Vndecim hoc nomine Stephanus ponit. Peloponneſi opido hæc fere nomina attribuit: Ἀπία, Φορωνικὸν ἄστυ, Αἰγιαλ[illegible], Ἱππόβοτον, Ἴασος, Δίψιον.

ARMA Tab. xvii. Bœotiæ ciuitas Stephano de Vrbib. ab Amphiara[illegible]rru. Alteram & in Attica eſſe. Ἁρματεύς, ἐθνικόν, gentile, vt hoc in loco.

ATHOS Tab. xxiiii. mons eſt Macedoniæ maxime memorabilis, nunc ab incolis ἅγιος ὄρος, vulgo *Monte ſancto* dicitur. Ambitu eſt LXXV. miliarium: trium dierum itinere eius longitudo patet, & dimidij latitudo. Altitudinis tantæ, vt eius cacumina venti non aſcendant, vt Ariſtoteles etiam prodidit, vbi nec imbres cadunt. Eius vmbra in inſulam vſque Lemno proiicitur. Cherſoneſi præfert ſpeciem. Incolæ olim ob vitæ diuturnitatem *Macrobij* dicti. Hodie *Caloieri* Græcis dicti, S. Baſilij regulam ſeruantes, quaſi ſacri: nec enim Turcis ibi degere permiſſum, ea ſanctimoniæ opinione Græcis, qua Roma Latinis. Ampla vetuſtaque habet monaſteria propè xxv. Cetera Pet. Bellonius Cenomanus, qui obiuit, amplius ſuggeret.

ATHENÆ Tab. viii & xv. Ἀθῆναι olim, nunc *Satines*, inflexa dictione & ſibilo ſpræmiſſo: Vrbs, vt Plinij verbis vtar, *nullius indiga præconio: tanta vrbis huius ſuperfluebat claritas*; Græciæ quondam clariſſima, humanitatis, doctrinæ, & diſciplinarum parens habita: cuius *vrbis laude fractum prope ac debilitatum* GRÆCIÆ *nomen niti ſua ætate* M. Tullius Cicero in Oratore, prædicabat. Nunc ſolum vicus, piſcatorum tuguriis habitatur, vt Æneas Siluius aliique oculati inſpectores produnt. Plura habet Nic. Gerbelius Phorcenſis lib. v. Græciæ deſcriptionis Sophiani, quem non deſcribo, vt nec claſſem Atticam ad Troiam, ex Homeri Iliad. β. vbi Strabo legendus & Euſtathius. Demon apud Ariſtophanis interpretem, ad illud ἐν ὄρνισιν, in *Auibus*:

Τί φής, τίς γλαῦκ' Ἀθήναζ' ἤγαγε;

Exiſtimat non ob id ſolum dici *Noctuas Athenas*, quòd Athenis Noctuarum ſit copia, ſed quòd in Nummis etiam tum aureis, tum argenteis Athenienſium Noctua inſcalpi ſoleat, vna cum facie Mineruæ. Porrò Nummus is appellabatur τετράδραχμον, quatuor drachmarum, cùm aurea vti ſolent Nomiſmatibus didrachmis: quorum inſigne erat Bos. Vnde etiam natum illud Prouerbium: *Bos in lingua*. Trioboli quoque nomiſma ex vna parte Iouis effigiem habebat, ex altera Noctuæ. Proinde abſurdum videbatur Noctuas Athenas deportare, cum illic paſſim omnia No-

Digitized by Google

ſtuis abundarent. De Nomiſmate Athenienſi teſtatur & Plutarch. in vita Lyſandri, cum de ſeruo meminit, qui domini ſui furtum *αἰνιγματωδῶς* indicans ait multas ſub tegulis cubare noctuas: oſtendens illic abditas pecunias noctuis inſignitas. Hæc Adagiorum Chiliaſtes. Sed & illud quærendum eruditis hominibus inueſtigandumque, cur in his Athenienſium Nummis omnibus noctua iacenti inſiſtat vrnæ? & cur ΑΘΕ pro ΑΘΗΝ. lateri ſit perpetuo adſcriptum, cum nomine ſiue Archontis ſeu alterius Magiſtratus aut illuſtris Atticis Athenis viri. Noctua Mineruæ ſacra: glauci vtrique oculi, vt Pauſan. in Atticis ait: Dicta & *Perſpicax*, & *ophthalmitis*, vt idem lib. II. & III. prodit. Mineruæ etiam armatæ caput cernas, quæ Athenienſium Dea tutelaris, arcis præfecta, vrbi quoque de ſe nomen dedit: cuiuſque in arce olea fuit, teſte lib. I. de Legib. M. Tullio.

Bisaltia Tab. XXIIII. Stephano vrbs & regio Macedoniæ, à Biſaltro Solis & Terræ filio ſic dicta. In hac lepores duplici iecore capi ſolitos auctor eſt Theopompus ac Phauorinus, apud Steph. & Athenæum lib. VI. Plinius lib. XI. Natur. hiſtor. cap. 37. *Bina iecinora leporibus circa Briletum & Tharnem, & in Cherroneſum ad Propontidem.* Vbi ex vtroque auctore leg. quoque ſentio, *circa Biſaltiam.*

Boeotia Tab. XVI. Eius ſitũ in Peloponneſi peninſula præter Stephanum, Strabo lib. IX. Geogr. deſcribit. Male olim *Bœoti* audierunt ob mentis ſtoliditatem, vtpote voraces, cum Theſſalis. Hinc tot petiti Prouerbiis vt ſtupidi: *Bœotica ſus, animus, ingenium, mores,* ceteraque apud Chiliaſtem. Horat. lib. II. Epiſt.

Bœotum in craſſo iurares aëre natum.

Bvthrotvm Tab. V. Nobile Epiri opidum: dictum & Βυτρωτὸς, καὶ Βουθρωτὸς. Hodie *Butrinto.* Vocis originem Steph. adfert è Teucro Cyziceno. adi Strabonem lib. VIII. Geogr. Virgil. lib. III. Æneid.

Littoraque Epiri legimus, portuque ſubimus
Chaonio, & celſam Buthroti aſcendimus arcem.

Et Lucanus lib. III. Pharſal.

Theſproti Dryopeſque ruunt, quercuſque ſilentes,
Chaonio veteres liquerunt vertice Sellæ.

Bvllioni Tab. III. Phocidis populi Stephano, à Bulone conditore ſic nominati. *Bulini* etiam Illyriæ incolæ. *Bulinam* verò vrbem Artemidorus nuncupat. Cetera ignota vrbs eſt.

Byzantivm Tab. XXVII. Huic cum Maſſilienſi communem eſſe parallelum docet Strabo ex Hipparcho lib. II. & lib. VII. & Steph. in ΒΥΖΑΝΤΕΣ. Thraciæ nobiliſſima hodieque ciuitas: poſt à Conſtantino Magno Imp. Constantinopolis vocitata, à Græcis etiam ἄγιος, ἐ κατ' ἐξοχὴν πόλις. Item νέα Ῥώμη Ariſtidi. Seueri etiam Aug. tempore Ἀντωνία ἐ Ἀνθοῦσα. Nunc à Græcis Turciſque incolis corrupta voce Conſtantinopolis, *Stimbol.* à Gallis, *Conſtantinople.* Hanc vrbem maximam ſitumque poſt Corn. Tacitum lib. XII. Petrus Gillius ſingulari libro, & altero Boſporum Thraciæ deſcripſit, moreſque etiam Pet. Bellonius, quos legas licet.

Calydon Tab. VII. Ætoliæ opidum à Calydone Endymionis, ſeu Ætoli F. dictum. *Calydonius* hinc gentile nomen, & *Calydonia* Stephano.

Cappadocia in Aſiæ Tab. I. Pontica Regio iuxta Ciliciam (vnde *Cappadoces* populi, Stephano auctore) vtraſque attingit Armenias: Ptolemæus minorem Armeniam facit, & Stephanus Ciliciæ ad Boream, ad Tauri montis iuga Soliſque ortum ſe attingens. Sic Mela & Solinus. Perſius Sat. 6.

Cappadocas rigida pingues pauiſſe cataſta.

Vide Prouerbium: *Tria Kappa peſſima:* & Strab.

Cassandria Tab. XXIIII. Olim Ποτίδαια. Nomen hodieque retinet Sophiano. Bellonio enim eſt *Sciatto.* Macedoniæ eſt vrbs, ad Thraciam, Potidæa antea appellata, à Caſſandro Antipatri F. Sic Stephanus.

Chal-

CHALCEDON in Aſiæ Tab.IIII. Aſiæ eſt opidum è regione Conſtantinopolis ad Thracium Boſporum, Sophiano eſt *Chalcidona*, aliis *Scutari*.

CHAONES Tab.III. Epiri ſunt populi, vnde CHAONIA regio, ab Acrocerauniis incipiens montibus, teſte Plinio lib. IIII. Helenus Priami F. eo vocauit nomine & ſolatio Chaonis fratris in venatione à ſe per imprudentiam occiſi. Ita Seruius ad illud Maronis III. Æn. v. 292.

—— portuque ſubimus Chaonio.

Et mox. v. 334. *Pars Heleno, qui Chaonios cognomine campos,*
Chaoniamque omnem Troiano à Chaone dixit.

CHERRONESVS Tab.XXVI. maritimum eſt Peloponneſi opidum. In Creta ſæpius idem nomen, ſed cum ſ *Cherſoneſus*: Item alibi.

COLCHIS in Aſia Tab.I. Aſiæ regio eſt (quæ hodie *Canamcina*) in qua iuga Caucaſi ad Riphæos montes. In ea eſt *Phaſis* amnis. Regnum fuit Æetæ patris Medeæ, quæ & ipſa *Colchis* à Poëtis dicta. Martialis:

Ignipedes poſſet ſine Colchide vincere tauros.

Horatius *Colchica* dixit *venena*, Propert. *Colchicus*: vt veneficiis inclaruerint Colchi. Sobolem eſſe Ægyptiorum linificij argumento refert Strabo, lib. XI. Geogr. & Ammianus lib. XXII. Hiſtor.

CORINTHVS Tab.XII. & XIII. Achaiæ celebris ciuitas in Iſthmo, ſed ſcortis, & libidinibus infamis. Vnde iactatum Prouerbium Horatianum:

Non cuiuis homini contingit adire Corinthum.

Hodie *Coranto* indigitatur: olim Ἔφυρα, *Ephyre* ab heroina eius nomine dicta, & ἡλιούπολις Stephano, ob ſoli ſiccitatem, & πάγος, ἱμείρον Ἑλλάδος Thucydidæ. Hinc & κορινθιάζομαι apud Ariſtophanem in Cocalo apud eundem Steph.

CRANON Tab.XV. Κράνων Theſſaliæ vrbs. Alia item Athamaniæ, Stephano: Κράνιον verò Cephalleniæ inſ. ciuitas.

DELPHI Tab.VIII. Bœotiæ vrbs Apollinis oraculo celebris, orbis credita vmbilicus, vt Plutarch. ait lib. de Oraculorum defectu, & Strabo lib. IX. ex Pindaro, Ouid. XV. Metam & Lucanus lib. V. de Parnaſſo; & alij. Hodie *Caſtri* nominatur Sophiano.

DEMETRIAS Tab.XX. Theſſaliæ aut Macedoniæ opidum ad ſinum Pelaſgium, alias *Pegaſa* dicta, vulgo *Demetriada*.

DIONYSIOPOLIS Tab.XXVIII. In confinio Thraciæ & Bulgariæ ſita vrbs, clade Chriſtianorum memorabilis, hodie *Varna*.

DYRRHACHIVM Tab.I. & II. A Græcis *Epidamnum* dictum, vt Appianus Alexandr. lib. II. bellorum Ciuilium refert: à Corcyrenſibus deducta colonia, auctore Thucydide lib. 2. Dicta & *Segeſta*, Macedoniæ vrbs maritima. Poſt ominis vitandi gratia, ex *Epidamno* à Romanis, quibus *damnum* ſignificabat, *Dyrrhachij* repetita appellatio. Sic enim Pompon. Mela lib. II. de ſitu Orbis: *Dyrrhachium, Epidamnos ante erat: Romani nomen mutauere, quia in damnum ituris omen id viſum eſt.* Vulgo *Durazo*.

EPIDAVRVS Tab.III. Tres huius appellationis maritimæ vrbes, vna Peloponneſi maris, quæ *Cherroniſo* vulgo: altera Laconiæ, quæ hodie Græcis *Monembaſia*, & ὄνυ γναθός: vulgo *Maluaſia*. Tertia Illyria vrbs maritima, hodie *Raguſium*, Pauſaniæ *Limira*: à Turcis, quibus ob mercaturæ celebritatem pendit tributum, *Dobronicha* appellata. Æſculapij olim delubro celebris fuit, auctore Plinio lib. IIII. & Strab. lib. VIII. qui Romam hinc Deus tranſuectus, teſte Liuio lib. XLV. & Val. Maximo: cum anguibus quibus remedia ineſſe creditum. Plin. idem ait lib. 29. cap. 4.

EPIRVS Tab.IIII. De hac Mela Pomponius lib. II. *In Epiro nihil Ambracio ſinu nobilius eſt. Facit ſinus qui anguſtis faucibus, & qua minus mille paſſibus pateant, grande pelagus admittit.* De hac multa Strabo lib. VIII.

Digitized by Google

Ethnestæ Tab. xx. Theſſaliæ populus Stephano, ex Rhiano lib. iiii. & v. ab Ethneſto, vno ex liberis Neoptolemi, ſic dictus. Nec alibi, quod equidem ſciam, eius mentio exſtat.

Eva Tab. xi. Arcadiæ opid. eſt Eva Stephano de Vrbibus, ex Theopompo lib. vi. Gentile verò nomen Εὐαῖος Euæus.

Galatia in Aſiæ Tab. ii. Regio eſt Aſiæ minoris, Phrygiæ finitima, quam olim Galli ex Europa venientes quia habitarunt, ideo & *Gallo-Græcia* dici cœpta. Item Cornu Byzantium, olim *Galata* etiam dicta, Thraciæ opidum, Conſtantinopoli oppoſitum. Hodie à Græcis πέρα, quaſi traiectu ſit opus. *Galatis* Melæ lib. ii. Iſtro Poëta nobilis, qui de Tragœdia librum ſcripſit. Nam de *Galatis* Aſiæ minoris populis, etiam auctore Ioſepho lib. i. Antiquit. dictis, ad quos B. Paulus ſcripſerit, Hieronymus Hebraicè dictos ait, quaſi *tranſlatos*, vt colonos. Quò etiam B Paulus reſpexerit, initio Epiſtolæ: *Miror, quòd tam citò transferimini ab eo qui vos vocauit in gratiam* Christi, *in aliud Euangel um.*

Gythivm Tab. xi. vbi tamen ΓΥΘΕΑΤΩΝ lego, fortè pro Γυθεάων. Γύθειον Stephano Laconica eſt vrbs, cuius & Lycophron meminit. Quidam putant, ſed malè, Πύθιον eſſe. In Mela lib. ii. *Githium* Laconiæ flumen cum Eurota reperias, ſed per tertiam vocalem ſcriptam.

Heraclea Tab. xix. & in Aſia Tab. iii. Tot tantæque eius in Græcia Aſiaque cognomines vrbes, ducta ab Hercule conditore, vel certè auctore ac tutelari, appellatione, vt quatuor ferè & viginti Stephanus recenſeat, quarum ſitum reſque inibi memorabiles è Geographis Strabone, Ptolemæo, Mela, & C. Plinio, Solino, H. Iunij Nomenclatore cap. *de Opidis &* Ortelij noſtri Theſauro Geogr. ſingulatim petendas equidem exiſtimo. Sed cur hic *Trachiniorum* additum? An à *Trachi* Theſſaliæ vrbe ad Oetam montem, ab Hercule quoque ædificata, ſicque ob loci aſperitatem nominata? cuius incolæ *Trachinij* ſint cognominati, & Τραχίνιοι, καὶ Τραχιναῖοι, Stephano eodem auctore.

Istria Tab. xxviii. *Illyrico* propriè dicto vrbes attribuit. Mela lib. ii. de ſitu Orbis cap. iii. extremo, *Pyreum, Liburnum, & Iſtriam:* quæ nomen hodieque retinet: iuxtaque eſt *Iuſtinopolis* opidum quod nunc *Cabdiſtriam* accolæ, quaſi *caput Iſtriæ* nominant: tulitque parentum memoria Andream Diuum Iuſtinopolitanum, Homeri κατὰ πόδα, Theocriti quoque & Ariſtophanis Metaphraſten: Item Paulum Vergerium, ſed qui turpiter à maiorum Religione deſciuit, vt nuper Dalmata quidem M. Antonius de Dominis.

Himeniωn Tab. xvii. Emendandam Nummi etiam ſcripturam arbitror, reponendumque ICMHNIΩN, vt H ſpiritus Latini H figurâ præpoſita, in medio locetur, pro η, non ι. De his Stephanus: ΙΣΜΗΝΗ, κώμη Βοιωτίας. ὁ κωμήτης Ισμήνιος, καὶ Ισμηναῖος, καὶ Ισμηνεύς, καὶ Ισμηνίτης. ἔστι καὶ Ισμηνὸς ποταμὸς Βοιωτίας, ἀφ' οὗ Ισμήνιος Ἀπόλλων, καὶ Ισμηνία.

Lacedæmon Tab. xi. Nobilis Peloponneſi vrbs, Sparta etiam dicta: vnde & *Spartani* deriuantur; ab illa verò voce *Lacedæmonij*, *Lacones*, *& Lacænæ* feminæ. Horum cùm res domi militiæque geſtæ à Xenophonte, Plutarcho & Strabone lib. viii. deſcriptæ; tum Apophthegmata Laconica, & inſtituta ex eodem ipſo Plut. ſatis qui ſint oſtendent: vita quoque Lycurgi, Legeſque ab hoc Spartanis latæ. Cicero pro L. Flacco: *Adſunt Lacedæmonij, cuius ciuitatis ſpectata ac nobilitata virtus, non ſolum natura corroborata, verum etiam diſciplina putatur. Qui ſoli toto orbe, &c.* De moribus verò in Mureniana, & in Tuſculanis. Hodie *Mizithra* à Græcis, Turciſque nominata.

Lamia Tab. xix. Theſſaliæ ciuitas Melienſium, auctore Polybio. Alij quidem

à *Lamo*

Digitized by Google

à *Lamo* Herculis F. alij à *Lamia* femina, quæ Trachiniis imperitauit. Vnde & *Lamiacum bellum* dictum. Sic Stephanus. Eſt & alia Ciliciæ vrbs, cuius gentile *Lamienſes* & *Lamiota*.

Larissa Tab. xx. Multarum hæc vrbium appellatio, quarum amplius x. recenſet Steph. nam & à diuerſis ciuitatibus, Apollo, Iupiter, & Achilles *Lariſſæi* dicti, etiam Straboni, ac Poëtis. *Lariſſa*, etiam dicta Cretenſis ciuitas, quæ & *Hiera Pydna*, Plinio, hodie *Giera petra*.

Locri Tab. vii. & xviii. In Græcia cognominati *Ozolæ* à malo odore. Alij *Opuntij*, Bœotiis finitimi, qui & *Epicnemidij* dicti. Alij in magna Græcia, vbi Italiæ frons, qui & Λοκροὶ ἐπιζεφύριοι, quibus rex & auctor Aiax Oileus, teſte Homero in Catalogo. *Epizephyrij* autem cognominati à Zephyrio promuntorio. De his variè P. Maro: Æn. iii. v. 399.

Hic & Narycij poſuerunt mœnia Locri.

Et lib. xi. v. 265.

—— *Libycòve habitantes littore Locros.*

Lycophron in Caſſandra:

Καὶ Ναρύκειον ἄστυ, καὶ Θρονίτιδες
Λοκρῶν ἀγυιαί. ——

Lysimachia Tab. xxvi. Vrbs apud Cherſoneſum Thraciæ, teſte Mela lib. ii. cap. 2. quæ prius dicta ſit Καρδία. Eſt & Ætoliæ ciuitas Stephani. Illa à *Lyſimacho* Macedone conditore ſic nominata, qui, vt Iuſtinus lib. xv. auctor eſt, virtute & amore litterarum illuſtris fuit. Calliſthenem enim ab Alexandro Magno caueæ temere incluſum libenter audiebat, &c. Hic leonem ad quem damnatus erat, exerta lingua exanimauit. Quidam *Hexamilium* eſſe putant ab Amurathe Turcarum Imp. vaſtatum, poſtea à Venetis inſtauratum an. 1453. denuò à Turcis deſtructum.

Macedonia Tab. xxii. C. Plinij lib. iiii. adſcribere verba libet: *Hæc eſt* Macedonia *terrarum imperio petita. Hæc Aſiam, Armeniam, Iberiam, Albaniam, Cappadociam, Syriam, Ægyptum, Taurum, Caucaſum tranſgreſſa. Hæc in Bactris, Medis, Perſis dominata, toto Oriente poſſeſſo: Hæc etiam Indiæ victrix per veſtigia Liberi patris atque Herculis vagata. Hæc eadem eſt* Macedonia, *cuius vno die Paullus Æmilius Imperator noſter* lxxii. *vrbes direptas vendidit.* Hæc Plinius, neque lectu indigna habet Iuſtinus libro vii. Manilius verò canit in Aſtronomicis:

—— *Et Macedum tellus quæ vicerat Orbem.*

Macrocephali Aſiæ Tab. i. Delphis Pompon. Mela lib. i. *Minus feri, verum & hi inconditis moribus Macrocephali, Diſcheri, & Buxeri, raræ vrbes.* De *Macrocephalis* & *Buxeris* Plinius. Pro *Diſcheris* alij reponunt *Bizeres*, ex Val. Flacco lib. iii. Argonaut. & Dionyſio Afro vbi interpres: *Bizeres primi, quos iuxta terra Becchirum.* Et Ammiano Marcellino lib. xx. qui *Bizares* per primam nominat vocalem.

Maronia Tab. xxvi. Mela lib. ii. cap. ii. extremo: *Scænos fluuius, & ripis eius adiacens* Maronia. Stephano verò ΜΑΡΩΝΕΙΑ. Ciconiæ vrbs eſt ad Thraciæ Cherroneſum. Inde gentile *Maronita, & Maronitis & Marinis*, idis, femina; & *Maronæus* tanquam à *Marona*.

Megara Tab. xiii. Achaiæ eſt ciuitas, nomen hodie retinet. Alia eſt cognominis in Sicilia ad mare, vulgò *Agoſta* dicta. Ex illa oriundum *Theognidem* gnomologum auctor eſt Stephanus, & Harpocration: Ex hac verò Sicula oriundum Plato l. de Legib. Ariſtotel. Iſocrates, Xenophon & Suidas faciunt Theognim: vt diſputat lib. ii. Humanar. Obſeruationum cap. xxviii. And. Schottus. De ea vrbe, & Strabo lib. ix. Geogr.

Messene Tab. x. nobilis Græciæ Vrbs, nunc putatur *Peralidia* dicta. Meſſeniacus verò ſinus hodie *Golfo de Coron* Sophiano, Græcis verò Κορωναῖος κόλπος. Stephanus quoque *Meſſenen* in Sicilia collocat alteram ex Aſinio Quadrato, in dict. Μεσσήνη.

Digitized by Google

Metropolis Tab. xxi. Multarum vrbium eſt appellatio. Steph. enim x. enumerat: quarum prima Phrygiæ eſt, à matre Pelim Phrygia condita, auctore Alexandro in Phrygiacis: altera rurſum in Phrygia. Tertia Lydiæ, Theſſaliæ quarta, quinta Acarnaniæ, vnde gentile *Metropolites*. Sexta Dorienſium: ſeptima in Ponti Mediterraneis. Octaua Scythiæ: nona Eubœæ: decima Theſſaliæ ſuperioris. Sic Steph.

Navpactvs Tab. vii. Achaiæ opidum ad Corinthiacum ſinum. Græcis ναύπακτος. Hodie *Lepanto*. Hanc alij in Ætolia collocant, in amœniſſimo ſinus receſſu. Hanc vrbem Turca Venetis per vim eo ipſo tempore ademit, cum in Macedonia Dyrrhachium, & in Peloponneſo Methonem & Coranem vrbes amiſerunt. Ad hanc & Echinadas à Chriſtianorum claſſe pugnatum feliciter, victuſque ad internecionem Turcarum exercitus, Imperatore Ioanne Auſtriaco, an. M.D.LXXII.

Nicæa Tab. xiii. & Aſiæ Tab. iiii. Bythyniæ vrbs Mediterranea: vulgo *Nichaa*. Alia Nicia Antonino; Plinio Nicæa Liguriæ maritima, hodie *Niza*.

Nicomedia Aſiæ Tab. iiii. Ciuitas eſt Bithyniæ, auctore Stephano, ab *Nicomede* conditore ſic nominata, qui Zelæ filius regis nobiliſſimi fuit. Dicta & ὀλβία, quaſi *Felix* dicas & fortunata. Hodie à Turcis *Nichor* vocatur. Hîc Conſtantinus M. Imp. diem clauſiſſe fertur extremum, ac baptizatus eſſe ab Euſebio Epiſc.

Olympia Tab. x. ΟΛΥΜΠΙΑ *Piſa* etiam dicta, ait Stephanus de Vrbibus. Vbi & *Olympius Iupiter* cultus, cuius hîc in Nummis faciem agnoſce, & fulmen ſub noctuæ pedibus, vt alibi ab aquila geſtatum. Vrbs erat inter Oſſam & Olympum montes, non procul ab Elide & Piſa ciuitatibus Græciæ. ὀλύμπια verò certamina quinto quoque anno ibi celebrata, vt Pindarus *Olympiaca* edidit, & hinc *Olympiades*, quib. in annis computandis vſi Græci, vt *Luſtra* Romani. Dicta & Arpina vrbs illa, vt Nicanor ſcribit, ab Oenomai matre. ita Steph. adi Strabonem lib. viii. & Ptolem. lib. v.

Olynthvs Tab. xxiiii. Athenienſium opid. in Thracia, iuxta Sidoniam Macedoniæ, deductis è Chalcide, quæ in Eubœa fuit, colonis conditoribus euerſa vel ab Athenienſibus, vel à Philippo Rege Macedoniæ, qui cum vi capere non poſſet, corruptis auro cuſtodibus, euerterit, occiſis ibi antea perfidè fratrib. duobus, non vterinis, Aridæo & Menelao. Iuuenal. Sat. xii.

—— Biberat quo callidus emptor Olynthi.

Nobilior vrbs tribus à Demoſthene habitis *Olynthiacis* orationibus, vbi Libanij ſunt argumenta.

Omphalion Tab. iiii. Theſſaliæ ciuitas Stephano, cuius incola *Omphalites* ſit dictus. Cretæ quoque inſulæ vrbs, iuxta Thennas & Gnoſſum fuit eodem nomine.

Opvntii Tab. xviii. ΟΠΟΈΙΣ καὶ ΟΠΟΥ͂Σ ἐπώνυμος Locrenſium vrbs; item Achaiæ: ab hac incolæ *Opuntij* dicti. Steph. Naſo de Ponto.

Facta cæde puer Patroclus Opunta reliquit.

Patræ Tab. ix. Peloponneſi maritimum opidum in Achaia: nomen integrè ſeruat, vbi B. Andream Apoſtolum martyrium ſubiiſſe ferunt. Pauſanias prius *Aroën* dictam affirmat: poſt à *Patrea* mœnibus ampliatis nomen accepiſſe.

Pella Tab. xxii. & xxiii. Macedoniæ vrbs. Alexandri Magni natalibus clara. Iuuenal. Sat. x. ver. 168.

Vnus Pellæo iuueni non ſufficit orbis.

Perinthvs Tab. xxvi. Thraciæ vrbs maritima in Propontide. Vulgo *Heraclia Ezerlij*. Bellonio, eſt *Rodoſto*.

Philippopolis Tab. xxv. Vrbs in Cherſoneſo Thraciæ. Vulgo *Andrinopoli*. Olim etiam *Olympias* dicta & *Trimontium*, & *Adrianopolis*.

Phocis Tab. viii. Et Phocæa vrbs maritima Æolidis, nunc vocatur *Poglia vecchia*.

Prv-

PRVSIA. Tab. IV. Aſiæ: Bithyniæ eſt opidum, patria Oratoris Dionis, ob eloquentiam *Chryſoſtomi* cognomento. Hodie *Bource* dici putatur. *Pruſia* hic Regis caput agnoſco: in auerſa vtriuſque numi parte arcus eſt tenſus cum claua nodoſa. Et maritimam eſſe vrbem adſcripta demonſtrant. Vide Fuluij Vrſini Imaginem 119. Gallæo ſculpente.

PYLOS Tab. x. Meſſeniæ opidum in Peloponneſo iuxta *Coryphaſium* appellatum: Patria eſt Neſtoris eloquentiſſimi in exercitu Agamemnonis, vt melli eius orationem Homerus comparet. De huius vita Nic. Gerbelius lib. VI. Græciæ. Vulgo *Nauarina* dici putatur. Fuit & *Pylos* duplex in Peloponneſo, *Triphyliæ & Arcadiæ*. De triplici itaque *Pylo* iactarum hoc Prouerbium, à Strabone allatum deprauatè.

Ἔστι Πύλος πρὸ Πύλοιο, Πύλος γε μέν ἐστι καὶ ἄλλος.

Legendus Pindari Græcus Scholiaſtes, Thucydides lib. III. Strabo, Stephanus, & in Homeri Catalogum nauium Euſtathius.

SINOPE Tab. III. Aſiæ. ΣΥΝΩΠΗ vrbs clariſſ. Ponti condita à Macritio Coo. vt apud Steph. Phlegon, forte in Olympiadibus, prodit. De hoc Strabo lib. XII. Geogr. Et Val. Flaccus Argonaut. lib. V. *Aſſyrios complexa ſinus ſtat opima Sinope.*

STYMPHALVS Tab. XI. Arcadiæ vrbs Stephano, & campus eiuſdem nominis. Hinc *Stymphalia Diana:* & aues *Stymphalides*, quas Hercules agros vaſtantes ſonitu fugarit, in XII. eius laboribus: De *Stymphalide* virgine in Arcadia occiſa, belloque hinc nato Heron, aduerſus Iouinianum.

TANAGRA, & TANAGRÆA Tab. XVII. Bœotiæ opidum mediterraneum nobile, vbi ait Plinius lib. X. Natur. hiſt. cap. 21. ad bellum tantum & prælia aſſidua naſci aliquę gallos gallinaceos, patriamque nobilitaſſe, etiam Rhodum. Homerus etiam ΓΡΑΙ͂ΑΝ nominat ob vicinitatem, ait Steph. Vnde & TANAGRÆAM quidam appellant.

THEBÆ Tab. XVI. & XVII. Triplex hoc nomine. 1. Achaię, quæ hodie *Tiba*. 2. Theſſaliæ ad ſinum Maliacum: Vulgo *Ziton*. 3. Bœotiæ clariſſima Nouem Steph. enumerat. Thebæ Bœotię ſeptem tantum portis vt Ouid. XII. Metamorph. Aegyptiæ vero centum portis, ſiue aulas nominare placet, ait Mela lib. I. cap. de Ægypto extremo, ex Homeri lib. IX. Iliados. Iuuenal. Saty. XV. de hac Ægyptia vrbe dixit:

Atque vetus Thebæ centum iacet obruta portis.

De *Bœotia* vero idem Mela lib. II. cap. III. & campus *Thebæ* nomine idem lib. I. in Aeolide.

THERNA Tab. XXVII. Ciuitas Thraciæ, ait Stephanus: Vnde gentile Θερναῖος, vt hoc quidem loco.

THESPROTIA Tab. V. Ciuitas & regio extra Ambracium ſinum Stephano: *Theſproti* Chaonibus proximi, vt Plinius ſcribit procemio lib. IV.

THESSALIA Tab. XIX. *Prima eſt in Macedonia*, hoc eſt, præcipua *Theſſalia: Deinde Magneſia, Phthiotis*, inquit Mela. Straboni in 4. diuiſa partes lib. VIII. Geogr. Homero quondam in XII. partes, in Catalogo nauium, lib. 2. Iliad. pleriſque vicinis terris aſſumptis. Adi & Stephanum, qui nefas hic ait ciconiam occidere, quod ſerpentes tollat.

THESSALONICA Tab. XXIII. Antea etiam HALIA dicta, auctore Stephano, inter maritimas eius oræ clariſſima, teſte Strabone. Tulit hæc parentum memoria *Theodorum Gazam*, optimum ditiſſimumque Latini ſermonis Ariſtotelis interpretem De animalium hiſtoria, ac Theophraſti.

THYREA Tab. VI. Vrbs ad quam Argiui cum Laconib. depugnarunt. Steph. Aliud THYRAION Arcadiæ opidum, vide quò pertineant.

TORONA Tab. XXIV. ΤΟΡΩ´ΝΗ Thraciæ vrbs, à Torona Protei, vel Neptuni & Phœnices filia appellata. Sic Steph. Eſtque alia ad Troiam *Torona* condita: altera item Siciliæ ſed *Toronna* duplici nn. & duplici o, non ω.

TRAPE-

Digitized by Google

TRAPEZVS Tab. 1. Aſiæ. Cappadociæ vrbs, regum ſedes, hodie *Trapezunda* vel *Trebizenda*: patria *Georgij Trapezuntij* Rhetois etiam Latinè: ſed ſenex, litterarum oblitus omnium fuit, vt de Meſſalla Coruino Plinius refert lib. VII. cap. 24. & de Orbilio Grammatico apud Suetonium Bibaculus: *Orbilius vbinam eſt litterarum obliuio?*

TROEZENII Tab. x. Siti in ipſa Cherſoneſo, ad quæ recto curſu in Pyræeo commodiſſima olim nauigatio. De his Mela lib. II. cap. III. *Epidaurij Aeſculapij templo inclyti: & Troezenij fide ſocietatis Attica illuſtres.* Quam ſocietatis ac fidei hiſtoriam Plutar. in Themiſtoclis vita commemorat: quem adito. Steph. in ΤΡΟΙΖΗΝ varias eius adfert appellationes.

XYLINÆI Tab. I. Aſiæ Deprauatum nomen arbitror, nec enim χυλιναῖοι noti Geographis quos quidem viderim. Stephano ξύλος Cariæ eſt opidum ex Hecatæo in Aſiaticis. Vnde ξύλιος καὶ ξυλιὼς gentilia deriuata.

ZEPHYRION Tab. III. Aſiæ. De hac Steph. *Vel Halicarnaſſus Caria.* Sic dictum Ciliciæ opidum. Gentile verò ζεφυριώτης, vt hoc loco. Et hæc quidem de populis & Vrbibus Græciæ, minoriſque Aſiæ: Ad Reges, Macedonum potiſſimum, accedamus: quorum hic ſyllabus:

Alexander Tabula 29.
Alexander Magnus, Tab. 31. 32. 33. 34. 35. & 36.
Amyntas 29.
Antigonus Gonatas, 38.
Antipater 35. & 38.
Archelaus 29.
Ariarathes Tab. II. Inſul.
Ariabor zanes. ibid.
Caſſander Tab. 35.
Demetrius Nicator 36.
Demetrius 20. 38.
Lyſimachus 26. 36. 37.
Meleager 37.
Mithradates Eupator Tab. 3. Aſiæ.
Nicomedes Epiphanes Tab. 4. Aſiæ.
Perdiccas 29.
Philippus 30. 31.
Ptolemæus Alorites, & Ceraunus 37.
Pyrrhus Epirotarum Rex 4. & 26.
Soſthenes 38.

Digitized by Google

MACEDONIAE REGES

IN

NVMMIS GOLTZIANIS

ALEXANDER AMYNTAE F.

TABVLA XXIX.

